

tinguendo sciri per demonstrationem vt conclusionem & vt medium proprium, & distinguendo demonstrationes interminantes propter quid tantum, & quia tantum, & vt inque & distinguendo quod quid est, & distinctionem, ut patet in textu &c. Habetur siquidem ex his, quod licet quod quid est, & non sit id quod per demonstrationem concluditur, & tamen id, quod per demonstrationem habetur propter quid, quod est ipsum quod quid est, & huic seruit prima distinctio. Quia vero non qualibet demonstratio dicitur vere propter quid & contingit quandoque simul quia, & propter quid, quandoque quia ante ipsum propter quid, ideo oportuit addere secundam distinctionem, ex qua scimus, quod quando est demonstratio per proprium propter quid, siue simul etiam sciamus quia, siue ante, tunc per demonstrationem habemus quod quid est, aliter autem non. Quoniam autem non omne quid alicuius est verum propter quid, id tertia distinctio addita est, ex qua scimus, quale quid innotebit per demonstrationem, vt propter quid, & quale non &c. & quoniam talis determinatio non obstat rationibus in illo capitulo adductis, ideo non oportuit illas soluere. Concludebant siquidem illa, quod per demonstrationem non scitur, quod quid est, ut conclusio, quoniam sic scitur, quia est, quod nunc conceditur, non autem erant sufficientes ad concludendum, quia per demonstrationem ipsum quod quid est, aliter habetur &c.

Num. & quare per demonstrationem scitur quod quid est passio nis, non autem quod quid est subiecti.

Circa responsum principale huius capituli. Dubitatio non dissimulanda occurrit. Quare per demonstrationem scitur quod quid est passionis, & sciri non potest quod quid est subiecti, & mouetur hac dubitatio supponendo, quod etiam quod quid est subiecti, possit esse medium in demonstratione, quod postmodum probabiliter a S. Th. expresse habetur pluries &c. Est autem ratio dubitandi quoniam par ratio parem debet habere effectum, ideo autem quod quid est passionis, per demonstrationem haberi dicitur, quoniam ipsum est proprium medium, & proprium propter quid, hoc autem conuenit et quod quid est subiecti, alicuius enim demonstrationis, quacumque sit illa, proprium medium & propter quid est quod quid est subiecti, ergo illud per demonstrationem scitur, & hoc scitur, & si hoc non scitur per demonstrationem, sed supponitur, & aliter scitur, & illud eiusmodi censendum est &c. Mouendi autem hanc questionem occasione praebeat Arist. doctrina in textu, ait enim in responsione principali distinguendo quod quid est, quod quid est quod quid est sunt sine medio, & quaedam cum medio, & quod illa supponuntur, & aliter quam demonstrationem habent, ista autem, habentis demonstrationem (vt dictum est) non dixit autem aliter haberi quod quid est per demonstrationem quam modo declarato, id est vt propter quid, secundum intentionem ergo suam talis est differentia inter quod quid est passionis & subiecti.

Ad huius dubitationis euentiam oportet diligenter considerare in textu rationem talis differentiae, & ex illa causa deducere quare magis quod quid est passionis, quam subiecti per demonstrationem habeatur, in textu autem non assignatur ad propositum alia differentia inter subiecti & passionis quod quid est, nisi quod quorundam est altera causa, quorundam autem non & quod quaedam quod quid est sunt sine medio, & quaedam habent medium &c. Et haec quidem applicata ad subiectum & passionem & eorum quod quid est veritatem absque dubio inueniuntur habere, quoniam subiecti vt sic non est altera causa, passionis autem sic, & similiter suorum quod quid est. Sed quomodo ex his sequatur quod passionis quod quid est, ex demonstratione noscatur, subiecti autem non, difficile est accipere, quoniam illud quod quid est passionis non elucet per demonstrationem vt conclusum per illam sed po-

tius ut propter quid, quod vt dictum est, continetur etiam ipsi quod quid est subiecti. Estet siquidem facile ex supra dicta differentia, deducere quod ipsum quod quid est passionis, potest concludi per demonstrationem, quod quid est vero subiecti non, quoniam oportet conclusum per demonstrationem habere causam, & hoc directe ex ratione assignata, sequitur. Sed quoniam hoc non intendit Arist. dicens expresse, quod ipsum quod quid est, habens medium, habetur quidem per demonstrationem, non tamen demonstratur, illud vero quod caret medio supponitur, & aliter quam per demonstrationem habetur, ideo non sic deducere oportet, sed vacandum est intentum ex hoc elucescat. Notanda sunt igitur verba textus, & sciendum quod prima distinctio scilicet quorundam est altera causa, quorundam autem non est distinctio ipsorum quod quid est, sed ipsarum rerum quarum sunt quod quid est, ita quod exponendum est quarundam rerum est altera causa, quarundam autem non, nec ociose appositum (ly. altera) quoniam ex illa particula, vt apparebit, solutio questionis habetur, refert enim (ly. altera) vt Boetius hic dicit diuersitatem ab ipsa substantia rei, ita quod sensus distinctio est, quarundam rerum est altera causa ab essentia cuiusque, quarundam autem non, id est rerum quaedam sunt quarum esse causatur a causa extra essentias earum, quaedam autem non habent causam nisi proprias essentias &c. Secunda autem distinctio, scilicet eorum quae sunt quod quid est, alia sine medio, alia habent medium, est distinctio ipsorum quod quid est, & sequitur ex prima quoniam si res habet esse causarum a causa extra essentiam suam, oportet quod essentia sua sit causata, idem enim est causa esse et esse rei, & consequenter oportet quod quid est habeat medium & per oppositum si caret causa altera ab essentia eius quod quid est carebit medio, considerandum est ulterius, quod ipsum subiectum causa extranea caret, vel simpliciter, vel in tali scientia, causa, inquam, extranea per quam demonstrari possit ipsum quod quid est, quoniam (ut supra dictum est) qualibet scientia a priori supponit quod quid est, & esse subiecti &c. Et per hoc tam quod quid est subiecti, quam eius carere dicitur altera causa, & medio, & primo, principium esse & supponi vel poni, vt in primo dictum fuit &c. ipsa vero passio necessario habet causam altera ab essentia sua, & taliter alteram & extraneam, quod tamen cadit in eius completa definitione quae per additamentum fit necessario, ut dicitur in 7. metaphysica. Et per hoc tam essentia passionis quam quod quid est eius habet alteram causam ab essentia & medium, patet autem hoc manifeste in exemplo eclipsis, ipsa enim essentia eclipsis causatur ex oppositione terre, quae extra essentiam eius est, & in definitione terre, quae extra essentiam eius est.

Considerandum est ulterius quod aliter se habet demonstrationem subiectum, & aliter passio, subiectum. non est id quod demonstratur, sed de quo demonstratur, passio vero est id quod demonstratur, & consequenter cum causa passionis & eius quidditatis sit eadem, si vere debeat demonstrari passio, oportet ipsius passionis essentiae seu quidditatis propriam causam pro eo medio assumere, & sic cum per propriam causam rei cognitio sufficeret habere ipsa quidditas passionis ex tali processu elucescit, & non solum ipsa quidditas, sed & tota definitio eiusdem ex tali demonstratione innotebit, quoniam causa illa cum sit propria, est illud additum quod definitionem passionis complet. Ex vi ergo demonstrationis p.p. quid habetur quod quid est passionis, quoniam passio est id quod demonstratur, & eius essentia causatur a medio, quod definitionem eius complet &c. horum autem nihil subiecto conuenit.

Et ideo ad dubium dicitur quod non est aequalis ratio de quod quid est subiecti & passionis. Tum quoniam quod quid est passionis non innotebit praecise ex hoc quod fit medium seu propter quid, ex dictis patet. tum quoniam licet utrumque possit assumi in propter quid diuersis demonstrationibus.

secundo hu
ius capitulo
primoin so
lutione du
biti primi c.
11. c. 34.
Tex. c. 13.

supra pri
mo huius
c. 20.